

fit alterius, aliter se res habet: e. g. dicitur hæc conscientia, bonis fortunæ succurrendum esse pauperibus, & obligat, si cui suo arbitrio bonis uti liceat; sin minus e. g. si quis præsit alterius bonis, ut tamen pro arbitrio de illis statuere ei non liceat, non obligat: satis in tali casu est, si pauperibus non noceat.

§. 13. Deinde eadem conscientia quoad ea, quæ facienda dicitur, obligat semper, sed non illico ad actum omni tempore exercendum, e. g. dicitur hæc conscientia eleemosynas esse erogandas, ad hoc ipsum homo semper obligatus est, sed non obligatur ad actum erogationis omni temporis momento exercendum. In illis verò, quæ tanquam mala prohibet, obligat semper, & ad actum omni tempore omittendum, e. g. prohibet adulterium, hoc semper obligat, ut omni tempore turpis hic actus omittendus sit.

§. 14. Dicis: Lex divina vel humana obligat. E. hoc non competit conscientia rectæ? Resp. Lex v. g. naturæ aut moralis obligat *per se*, conscientia non *per se*, sed *ratione legis*, cui conformiter vivendum esse dicitur.

§. 15. Conscientia rectæ opponitur conscientia errans, quæ faciendum dicitur, quod tanquam malum jure divino vel humano prohibetur: omittendum verò, quod ei conveniens est. Fons hujus conscientia est ignorantia: oritur enim ex eò, quod quis ignorat, quid fieri vel omitti oporteat.

§. 16. Si quærat, quomodo obliget hominem hæc conscientia? duplici, priusquam respondeatur, opus est distinctione, (α) ex parte fontis, sive causæ hujus conscientia, quæ est ignorantia, (β) ex parte objecti sive rerum, quas hæc conscientia præcipit vel prohibet. Ignorantia, ex quâ oritur hæc conscientia, vel vincibilis est, vel invincibilis: Vincibilis ignorantia est, cum quis ignorat ea, quæ scire poterat & debebat, ut si quis ignorare dicatur, quod alteri suum non sit auferendum: hæc ignorantia est culpabilis, cum enim adhibita diligentia superari queat, ex negligentia non superatur. Invincibilis ignorantia dicitur, cum quis id ignorat, quod scire non poterat; scil. quando quis omnem adhibuit diligentiam debitam atque possibilem, qua poterat expelli ignorantia, nec tamen expelli potuit. Deinde res circa quas versatur hæc conscientia, vel per se bonæ sunt, vel per se malæ, vel denique indifferentes, quæ nec bonæ nec malæ ex natura sua sunt.

§. 17. Hisce præmissis, si quærat, quomodo obliget hæc conscientia

scien